

obiectum fidei excedat ipsam fidem, sicut
 obiectum charitatis superat charitatem. Sicut
 enim (inquit) multæ rationes veritatis am-
 abiles in Deo, quas tamen charitas non
 amat. Sed hæc solutio Caietani nõ placet.
 Neque enim videtur intelligibile, quod ob-
 iectum specificatum habitus excedat ha-
 bitum saltem in potentia. Quod quidem
 dixerim, quia contingit multas perfectio-
 nes, & veritates latere in obiecto formali
 Arithmeticæ, ad quas habitus scientiæ nõ
 se extendit in actu. Cæterum quod ille per-
 fectiones sub eadem ratione formali ad al-
 terum habitum pertinere possint, impossi-
 bile videtur. Item exemplum de obiecto
 charitatis nõ videtur satis aptum. Etenim
 nulla ratio bonitatis est in Deo, ad quã di-
 ligendam non se extendat minima charitas
 saltem in potentia proxima quantum est ex
 parte habitus charitatis, vt patet in beatis,
 qui sicut nullum attributum Dei non cog-
 noscunt, ita nullum non amant. Quare re-
 spondetur secundo ad argumentum, nego
 antecedens. Quoniã vt diximus in prima
 conclusione; obiectum formale fidei est ve-
 ritas prima vt reuelans ea, quæ per se perti-
 nent ad Christianã religionem.

Ad secundum argumentum respondetur,
 nego consequentiam. Et est instantia, nam
 si aliquis negaret, Angelum esse incorpo-
 reum, putãs ab Ecclesia ita esse definitum,
 ille esset hæreticus, & tamen si assentiat,
 non assentit per fidem. Cuius ratio est, quia
 bonum confurgit ex integra causa, malum
 autẽ ex particulari defectu. Vnde vt aliquis
 per fidem assentiat, non sufficit, quod ipse
 existimet esse de fide, quod credit, sed requi-
 ritur, quod re vera ita sit. Cæterum vt aliquis
 sit Hæreticus, sufficit, quod in sua æstimatione
 credat se discedere a doctrina Ecclesiæ cir-
 ca fidem. Sicutiã in proposito ille erit hæ-
 reticus, qui putans Deum aliquid reuela-
 re, negat esse verum, eo quod ex consequen-
 tiã ait Deum mentiri, quod est contra fidem
 Catholicam. Sed nota, quod quando aliqua
 reuelatio tamen propheta, qui est minister
 datus à Deo Ecclesiæ, tunc ipse tenetur cre-
 dere per fidem Catholicam, quod sibi lu-
 men propheticum reuelatum est, quamuis
 sub alia ratione credat illam veritatem, &
 sub alia videat, vt diximus in dubio præ-
 cedenti.

D Vbitur quarto, ad vltima resolutio
 credibilium per fidem Catholicam

A fiat in Ecclesiæ autoritatem, an potius in
 testimonium Dei interius reuelantis. Ar-
 guitur primò, quod talis resolutio fieri de-
 beat in testimonium in Ecclesiæ. Nam fides
 ideo dicitur Catholica, quia inclinat ad af-
 sensum illarum veritatum, quæ ab Eccle-
 sia catholica proponuntur, ergo vltima re-
 solutio, per quam habetur, quod aliquod
 pertineat ad fidem catholicam: fieri debet
 in ipsius Ecclesiæ catholicæ autoritatem,
 & testimonium.

B Arguitur secundo. Si fidelis interroge-
 tur, quare credis Deum esse hominem & re-
 spõdebit, quia Deus reuelauit. Quod si ite-
 rùm interrogetur, quare credis, Deũ reuelas-
 se? Respondebit prudenter, quia Ecclesia
 catholica dicit, hoc esse a Deo reuelatum,
 ergo ad Ecclesiæ testimonium tanquam ad
 primam rationem credendi reducitur alia
 credibilia.

C Tertio. Si ratio credendi reducatur ad
 internum testimonium Spiritus sancti illu-
 minantis mentem, daretur occasio homini-
 bus, ut facillè errarent in fide, dum unufquif-
 que eligeret, quid sibi credendum esset, af-
 firmans hoc sibi reuelari a Spiritu sancto,
 id quod hæretici dicunt spernentis Ecclē-
 się uisibilis testimoniũ. Confirmatur. Quia
 in hoc differt fidelis ab hæretico, quod hæreti-
 cus reducit suam fidem ad inuisibile testi-
 monium Spiritus sancti, fidelis autẽ ait, se
 hoc credere, & illud non credere, quia hoc
 Ecclesia uisibilis docet, illud non docet, er-
 go ad testimoniũ Ecclesię reducitur fides
 catholica.

D Quarto. Lumen fidei, quod ponitur in-
 fusum, non sufficit ad assensum alicuius ve-
 ritatis reuelate, nisi illa ueritas ab Ecclesiæ
 proponatur, ergo testimonium Ecclesiæ de-
 terminat potestatem illius luminis, uel
 habitus infusi, ut v.g. si aliquis baptizatus
 ueniat ad usum rationis, non poterit crede-
 re quicquam in particulari, nisi ab Ecclesiæ
 proponatur, imò uero per solum habitum
 fidei infusum non poterit discernere inter
 credendum, & non credendum, inter re-
 uelatum, & non reuelatum a Deo, ergo
 reuelatio interna non est ratio credendi
 formalis, ad quam fiat vltima resolutio
 fidei.

E Quinto arguitur ex Aug. lib. cõtra epist.
 fundamenti c. 5. ubi ait; Euangelio non cre-
 dere, nisi me autoritas Ecclesię cõmouerit.
 Ruisus informata iam catholicorum auto-
 ritate,